

explicuerat his verbis: *Omnis qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus est.* Hæc est possibilitas seu potentia conjuncta cum actu, in qua simul est *& possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus.* De hac possibilitate agere Augustinum, ex eo constat, quod cap. 25. scribit: *Quomodo enim dicitur, quod POSSUMUS BENE AGERE, DEI EST; QUOD AUTEM AGIMUS, NOSTRUM EST?* Cum dicat Apostolus, orare se ad Deum pro eis, ad quos scribebat, nè quid mali faciant, & ut quod bonum est, faciant. Non enim ait, oramus ut possitis nihil mali facere; sed nè quid faciatis mali: nec ut possitis bonum facere; sed ut bonum faciatis. . . . *Quomodo dicit Pelagius, quod bene loqui possumus, Dei est; quod bene loquimur, nostrum est,* cum dicat Dominus, Spiritus patris vestri est, qui loquitur in vobis? Neque enim ait, non vos estis, qui dedistis vobis bene posse loqui: sed ait, non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus Patris vestri est, qui vobis dat, vel dedit posse bene loqui; sed ait, qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum. *Quomodo dicit liberi arbitrii elatus assertor, Quod possumus bene cogitare Dei est: quod autem bene cogitamus nostrum est?* Cui respondet humilis gratiæ prædicator: non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait posse cogitare, sed cogitare. . . . Post quæ verba immediate sic inchoatur caput 26.: *„ Istam Dei gratiam in Divinis eloquiis manifestam, etiam Pelagius manifestè fateatur. . . . Et de eadem gratia sermonem prosequens, versùs finem hujus capituli concludit verbis in argumento relatis, dicens „ Ac per hoc gratiam Dei, quæ Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sinè illa, quod ad pietatem pertinet veram, que justitiam, fieri posse non dubitet. . . .*

9 Satis exprimit S. Doctor, se non loqui de posse absolutè, & sinè actu; quia jam præmonerat, Scripturarum testimoniis, quibus urgebat Pelagium, non significari potentiam sinè actu, sed actum cum potentia, vel potentiam actu conjunctam, ut ex allegatis verbis exploratum est. Quæsnellus autem adeò hunc sapientissimum docendi modum Sancti Augustini non imitatur, ut non modò non exprimat se loqui de posse conjuncto cum actu &

non de posse absolutè; sed insuper ita sententiæ sua verba disponit, ut nullum simili expositioni locum relinquat. Primò enim negat sinè gratia efficaci posse conjunctum cum actu, dum dicit, eam esse necessariam ad agendum, & sinè ipsa nihil fieri; postea verò extemplò subdit, *sed nec fieri potest;* quod non nisi ineptissimè de alio posse acciperetur, quàm de posse simpliciter & absolutè.

10 Alius occurrit respondendi modus, fortè in idem rediens cum præcedenti: quod, si objecta Augustini verba accipiantur de sola gratia efficaci, non loquatur de impotentia antecedenti, neque de impotentia simpliciter; sed de consequenti & secundum quid. Quæ responsio communis est Thomistis, & scientiam mediam profitentibus. Quod autem illi ab istis diversissimè exponant impotentiam consequentem, nihil id juvat Quæsnellum, qui utrisque contradicens, ponit impotentiam simpliciter, ubi gratia efficax non adest, ut liquet ex terminis damnati ejus articuli, & ex his, quæ paulò ante exposuimus.

11 Respondeo denique, quòd, quando Augustinus dicit *sinè illa,* non loquatur de sola gratia efficaci; nec de sola sufficiente, sed de utraque simul sumpta. Quamvis enim Augustinus gratiam efficacem intendat concludere contra Pelagium, sufficientem tamen minimè negligit, sed commendat, docet, amplectitur, & confitetur in eisdem capitulis: & Pelagium urget, ut ipsam sufficientem gratiam confiteatur, non in suo pravo sensu, quasi quæ solum præbeat facilius posse id facere, quod propriis viribus possumus; sed in sensu Catholico, quasi quæ det simpliciter posse ad actus salutares, ut manifestè constat ex ferie totius Augustinianæ ratiocinationis, & præsertim ex verbis excipientibus textum nobis ab Adversario objectum: subdit enim immediate S. Augustinus: *„ Non quomodo iste, qui, cum dicit, propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, facilius impleatur, quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet, quod etiam sinè illa, etsi minùs facilè, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, potest.*

12 *„ In libro quippe ad Virginem Sacram, quod & supra commemoravi, cum dicit, Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam Spiritui, Sancti Spiritus auxilio, resistamus: significat profectò quid sapiat. Ut quid enim hoc verbum interposuit, id est, facilius? An verò non erat integer sensus, ut nequam Spiritui, Sancti Spiritus auxilio, resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut*

„ etiam